



COMMENTARIA  
COMITIS  
JACOBI PICININI  
VOCATI  
SCIPIONIS ÆMILIANI  
EDITA  
PER P. PORCELIUM HISTORICUM CLARISSIMUM,  
ET MISSA  
ALPHONSO REGI ARAGONUM.  
PROOEMIUM FELICITER INCIPIT.



etiam, quæ ad Majestatem tuam attinent non ignores, & Porcelium Sacræ Majestatis tuæ pedibus devotissimum negligentie accusare non possis. Nihil enim ficti falsive istic ex me leges, sed omnia veluti ex Delphici Apollinis Oraculo quàm dignissima; militans enim scribo, & Majestatem tuam scriptis meis certior facio. Erunt igitur tamquam Commentarii, quos nomine tuo feriatim perscribam. Hos ego *Scipionis Picinini Commentarios* appellari velim; insignem enim Imperatorem Jacobum Picinum Æmiliano Scipioni comparem jure optimo confirmare possum, vel singulari Parentis virtute, vitæ integritate, & rebus bene gestis, vel incredibili ipsius Filii magnanimitate, prudentia, & summa in hac ætate juvenili auctoritate, dum pugnat pro Republica, subit pericula omnia, labores tolerat, contemnit utramque

A fortunam, cujus casus virtute inferiores putat. Hæc sunt fortis, & non mediocris Hominis officia. In his hunc rebus Justitiâ, rei militaris scientiâ, vitæ modestiâ, & magnanimitate haud illi imparem facio; liberalitate verò superiorem audeo dicere: quare non injuria in his Commentariis *Scipio Picininus* appellabitur. Nunc de re ipsa dicere aggrediar, sed de me paucula ante disseruero. Posteaquam ad Scipionem Picinum perventum est, cujus nomine huc me veniâ tuâ contuli, primò illi ex Majestate tua salutem plurimam dixi, moxque ei pollicitus sum ex te quidquid factò opus esset, meque illi nomine Serenitatis tuæ tradidi, quo uteretur arbitrato suo. Ille agens primùm Majestati tuæ gratias, me complexus est summa benevolentia, & honore non mediocri, & cum plurima mutuo colloqueremur, ad illud tandem venit, ut ob honestam bonamque causam essem aliquot menses penes se, quod cum opus foret, me ejus arbitrio uti possem, ratus id Majestati tuæ quàm gratissimum fore. Ego verò Imperatori tanta auctoritate nihil denegare ausus sum, cum præsertim Majestas tua roganti mihi hoc beneficium ante concessisset. Hæc de me satis. Si Majestas tua ita futurum vult, pro humanitate sua pauculis ad me Literis significabit, quo mihi nihil gratius, nihilque jucundius esse poterit. Nunc redeo ad Rerum gestarum seriem.